Specimen medicum inaugurale de doloribus in partu silentibus : variisque eos excitandi modis ... / submittet Carolus Fridericus Augustus Bilfinger.

Contributors

Bilfinger, Karl Friedrich. Alefeld, Georg Ludwig, 1732-1774. Justus Liebig-Universität Giessen.

Publication/Creation

Gissae (Giessen]): Apud Joannem Jacobum Braun, Acad. Typogr, [1770]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/anpquz5n

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



SPECIMEN MEDICVM INAVGVRALE

DE

OCCORIBVS IN PARTV SILENTIBVS VARIISQUE EOS EXCITANDI MODIS

QVOD

PRAESIDE

EORGIO LVDOVICO ALEFELD

PHIL. ET MED. D. ET P. P. O. ACAD. H. A. RECTORE


RO IMPETRANDIS SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS

D. XXXI. MAII. ANN. CIDIDCCLXX

PUBLICAE PROCERUM ACADEMIAE CENSURAE SVBMITTET

AROLVS FRIDERICVS AVGVSTVS
BILFINGER

BVTISBACENSIS.



GISSAE,

APVD IOANNEM IACOBYM BRAYN, ACAD. TYPOGR-

SPECIMEN MEDICINI INAVELLED

BOM

OOLORIBUS IN THAT!

do do

PRAESIDE

REORGIO LYDOVICO ALEFELD

PHIL. SET MED D. ET'P. P. P. O.

RO IMPETRAND. SVAIMIS IN MEDICINA

DE EXERTABLE AME. CIDIOCCEAN

PUBLICAE PROCEENTAL TONDENTALE CENSIMAE

CAROLVS FRIDERICVS AVGVSTVS BILFINGER

BY FISH ACENSIS.

GISSAE, **

AND TO ANNEM LACOUVEM BRAVIL ACED. THOOR.



quell. Zidm nobis elle nilns ad

and in conflictions ventemention view concerta uamuis variae prostent historiae puerperii absque doloribus, vti videtur, absoluti, quorsum spectant exempla foetuum ex matre ignara, stupida & sopita, immobili, apoplectica, epileptica a), imo mortua 3) in lucem editorum: tamen constans semper manet effatum diuinum; vt mulier cum doloribus pariat, quibus absentibus partum difficiliorem, imo difficillimum esse, quotidiana edocemur experientia. Dubio igitur omni caret, dolores ad feliciter enitendum partum absolute requiri, &, his absentibus, foetum naturae viribus, nisi praecipuae concurrant circumstantiae, in lucem edi non posse. De deficientibus igitur in partu doloribus acturi eum seruabimus

mus ordinem, vt primo originem horum puerperarum dolorum paucissimis tantum ostendamus, deinde causam inuestigemus, cur quandoque desiciant, & denique monstremus, quomodo arte excitandi sint.

- Elem. Physiol. Tom. VIII. P. I. pag. 420. & Not. ad Prael. BOERHAVII Tom. V. P. II. p. m. 22, seqq.
- β) Foetus ex matre mortua natos esse, variis exemplis probat FRANCKENAV Satyr. med. IV. pag. m. 81.

g. II.

Dolores, siue, quod idem nobis est, nisus ad partum in constrictione vehementiori vteri contenta fortiter expellente consistere, nemo facile negabit, qui semel tantum manum in parturientis feminae vterum immisit; vnde vero violenta haec vteri constrictio originem trahat, de eo variae fouentur fententiae. Vt rem paucis expediamus, missis aliorum opinionibus, quid nos sentiamus, tribus tantum verbis declarabimus. Foetus nimirum sensim sensimque crescens, gravior redditur, liquorique amnii innatans magis matricis orificio vel capite vel alia corporis sui parte innititur, idque premendo leniter & successive expandit; quo sit, vt vteri pars inferior eum in locum cedat, vbi minor est resistentia, quae in parte vaginae superiori deprehenditur. Haecce segmenti inferioris vteri expansio in ipsa matrice varias

rias producit mutationes. Primo enim hacce pressione inferior vteri portio, partim in vagina pendula, debilitatur, humorum in hanc partem influxus im-peditur, tenuior redditur & irritabilitas eius imminuitur; quo accidit, vt quoque resistentia hicce locorum minor euadat, ac hoc matricis segmentum minus contrahatur, magisque cedat: vnde deinde euenit, vt, descendente parte inferiori matricis, huius cauum amplius reddatur, spatiumque quoddam vacuum in fundi regione oriatur, vterus autem tan-quam corpus elasticum, fibrisque simul carneis a) praeditum, resistentia imminuta, sese contrahat, vsque dum aequilibrium fuerit restitutum. Hoc vero facto hic iterum quiescit, atque haec scena toties luditur, quoties dictae orificii vterini mutationes matricem ad hanc actionem disponunt. Accedit adhue, vterum fibris mufcularibus quam plurimis intertextum irritabilitate sua gaudere, eundemque a mole aquarum ac infantis, huiusque motibus ad constri-Etiones stimulari 3). Diaphragmatis atque musculorum abdominalium actiones simul iuuare hos vteri nisus, attamen istas ab his excitari, nulli dubitamus y).

a) Iure miratur Cel. GEHLERVS Diff. De Vtero secundinas expellente S. I. S. 2. pag. 6. a quo non dissentit Cel. MORGENBESSER Diss. de Foetus non vitalis partu dirigendo S. 3. pag. 6. illustrem BOERHAVIVM sibras mutculosas in vtero negasse, quas tamen ahi anatomici A 3

- non semel observarunt. Nec cum Boerhavio Inst. med. §. 663. elasticitas negari potest. vid. Gehler vid. General vid. Gehler vid. Morgenbesser l. c. §. IV. Angermann Diff. de Conatum pariendi regimine sub praesidio Cel. Bosii hab. §. 3.
- B) Optime hunc mechanismum descripsit b. ROEDERE-RVS Elem art. obstetr. ed. II. Cap. V. quem quodammodo secuti sumus.

y) Consentit nobiscum Cel. ANGERMANN Diff. cit. §. 6. pag. 14.

S. III. enderiner munibaciq

Ex modo dictis haud difficile erit iudicare, quotuplici modo nisus ad partum sisti queant. Siue enim nimia foetui exituro opponatur resistentia, siue vterus ad constrictiones plane ineptus sit: in vtroque casu dolores ad partum vel minus efficaces erunt, vel plane silebunt. Prior si subest causa, aut deest proportio inter foetum exiturum & vias quas transgredi debet, aut situs peruersus foetus hunc ad obstaculum quoddam exitum prohibens dirigit, aut membranae foetum ambientes nimis robustae rumpique nesciae vlteriorem progressum retardant, aut denique aquarum parturitionis praematurus essuus impedimento est, quo minus pusillus ex ergastulo suo libere prodire valeat. Secunda causa vel in ipso vtero latet, vel in toto parturientis corpore quaerenda est.

Vterus enim minus irritabilis, fere insensibilis, minusque elasticus, aut nimium quoque tensus ad constrictiones tales minus idoneus est. Si vitium quoddam in toto parturientis corpore deprehenditur, & hoc quoque ad vterum redundare valet. Sed de omnibus hisce iam speciatim agendum nobis erit.

ives audino riori S. IV.

Inter causas dolores ad partum supprimentes primo mentionem fecimus proportionis inter foetum peluisque aperturam, quam transmigrare iste debet, deficientis, qua praesente paruulus ex matris antro excludendus vel in margine superiori, vel in ipsa cauitate peluis haerens naturae viribus vlterius protrudi nequit, ita, vt per plurium dierum spatium codem in loco haereac. Quam primum vero non vlterius prouehitur pusillus, nisus quoque vteri deficere incipiunt, & eam quidem inprimis ob causam, quia non cedente foetu nullum plane in vtero generatur spatium vacuum, quorsum hicce, qui tunc temporis embryonem vndique arctissime circumdat, sese contrahere possit. Constans ideo observatio est, & omnibus quoque ad partum propitia Lucina absoluendum apparentibus, tamen, aut soetu nimis magno, aut pelui nimis angusta existentibus, dolores ad partum necessarios tandem silere, partumque non nisi difficillime absolui. .V. dui polica focus .r.

MILLIAM

Vegrus coin minus reives suros rumbbilis on Idem quod proportio inter foetum peluisque aperturas peccans efficit, idem quoque expectandum erit, si foetus peruerse situs est, & eadem erit conditio, siue embryo in vtero male collocatus sit, siue vterus ipse situm suum naturalem derelinquens contentum simul infantem in obliquum secum trahat situm. Quicquid horum sit, semper foetus incipientibus vteri moliminibus expultricibus non secundum peluis axin promouetur, sed potius ad peluis margines, aut, infelici quandoque fato ad vteri fegmentum inferius, quod peluis apertura superiori elatius est, ita apprimitur, vt vel cedere nequeat, vel vterus rumpatur a). Prius si accidit, eadem ratio, quam S. pr. declarauimus, subest, quo minus matricis constri-Etiones continuari queant, resistentia enim actionem superat, hancque plane inefficacem reddit 3). De altero casu sermonem hic facere locus non est.

s) Foetu ad exitum minus apte disposito, vterum rumpi, praeter alias observationes, ex ea, quam narrauit BEH-LING Medit. super casum rupti in partu vteri, sat clare constat.

B) Hoc ita euenire, quoque colligere licet ex variis obseruationibus, imprimis PLATERI, qui in historia apud SPACHIVM Lib. Gynaec. reperiunda de partu a mu-liere exemto matre superstite narrat de muliere, quae per octiduum pariendi conatibus vexata tamen non peperit, cuique illo tempore exacto, cessantibus doloribus, diu postea foetus in regione vmbilici ex tumotumore quodam ibi orto extractus est. Simile exemplum extlat in VALENTINI Chirurgia medica pag. m. 399. seqq.

S. VI.

Vti omnia, quae embryonis ex vtero itineri obicem ponunt, dolores minuunt, aut plane tollunt: ita & membranae foetum ambientes hoc praestare valent. Optimam quidem partus speciem eam esse, si embryo membranis suis adhuc inuolutus, siue integrum ouum, paritur, plurimi asserunt obstetricantes a), ideoque nimia chorii amniique tenacitas vix & ne vix quidem causis partus difficilioris adnumepari solet; imo & stvartvs 3) uunquam partum ob membranas nimis robustas retardari, horumque robore potius faciliorem reddi, autumat. Verum membranas hasce quandoque, quamuis rarius hoc fieri lubentissime concedamus, tenaciores esse, nec, quantum requiritur, dilatari posse, experientia docemur, hacque nimia resistentia vlteriorem foetus progressum impediri, doloresque hunc promouentes sisti y), ex antea dictis per se patet.

Sufficiat, hic nominasse b. ROEDERERVM Elem. art.
obst. ed. sec. §. 186. THEBESIVM in arte obstetr. vernacula lingua conscripta §. & ibi allegatum de la
MOTTE.

B) Diff. Sist. secundinas salutiferas aeque ac nociuas Cap. II. S. 15. pag. 60.

B

y) Conf.

Y) Conf.

y) Conf. ANGERMANN l. c. §. 12. pag. 28. & autores ibi alleg.

S. VII.

Quae nimium membranarum robur damna parit, eadem quoque parturientibus detrimenta pertimescenda sunt, si, velamentis hisce nimis cito lacerâtis, aquae parturitionis praemature profunduntur. Praematurus hicce liquoris amnii effluxus imprimis oritur, si fetus oblique situs est, aut membranae nimis tenues sunt, aut tandem hae obstetricantis manibus improuidis rumpuntur. que modo hoc fiat, semper dolores languescere a), tandemque silere obseruabimus. Peruersum foetus situm vteri hos motus infringere atque diminuere, superius S. V. iam indicatum est, de detrimento ve-ro a praematura membranarum ruptura, hancque fequente aquarum profusione timendo praeter alios dubitat Cel. STVART β). Sed iam mittamus rationet ab hoc allatas, & hoc faltem moneamus, aquas has membranis suis adhuc inclusas foetui exituro vias parare, & his praemature profusis caput infantis per vias nimia adhuc angustia laborantes migrans non nisi difficillime resistentiam sibi obuiam superare, vnde & per hunc fortiorem sinus muliebris renisum vteri molimina debilitantur, & quandoque plane tolluntur ()

- a) THEBESIVS 1. c. §. 179.
- 6) be pag. 61. The mubinesime music bar selocition
- 2) Consentiunt nobiscum Celeb. ROEDERER 1. c. & Cel. ANGERMANN I. c. quamuis vterque aliam dolorum filentium causam agnoscat. S. VIII. maisminni amigitsing

Non autem semper obstaculum quoddam foetus ex carceribus maternis iter impediens causa dolorum silentium existit, sed & in ipso vtero nonnunquam fomes huius mali latet. Irritabilitatem vterum ad hanciactionem disponere, supra iam monuimus, &, ista deficiente, hanc quoque matricis contractionem debiliorem esse, nobis quoque non monentibus, quilibet facile perspiciet. Dari vero feminas, quarum irritabilitas quam maxime hebes est, non vna confirmat observatioloh agi av contrait anti cobe

Comprobat hoc observatio PLATERI, quae apud SPACHIVM tertia est. morthagia largior parmin aniccella,

profuto omni fere latiXI v. Jali veeri nilits candem

Pertinent quoque huc morbi vterini irritabilitatem huius partis tollentes, aut constrictiones ad rite expellenda contenta necessarias impedientes. Indurationes, scirrhos, carcinomata, inflammationesque iam fere sileamus, & hoc tantum moneamus, his morbis praesentibus vteri actionem quam maxime infrin-.biv (a

infringi, vnde & in hoc ancipiti rerum statu non solum dolores ad partum enitendum efficaces silere solent, sed &, inflammato, ac imprimis sphacelo incipiente correpto vtero, tam mephitis ex genitalibus spirans, quam abdominis tumida eleuatio triste praefagium annunciant.

Mon autem Emper-X . Regulum quedelam foetus

Haud raro quoque accidit, vt, vitio quodam in toto matris corpore latente, vteri actio per hoc deprauetur, & primo huc referendam esse puerperae imbecillitatem putamus. Quamuis enim Cel. ROE-DERERVS a) imbecillitatem matris, si quoad reliqua partus est facilis, partum non retardare, asserat; tamen paulo post eum excipit casum, quo vires feminae, etiam sub reliquis partus circumstantiis exoptatis, adeo sunt fractae, vt ipsi dolores cessent. Hoc in corpore summe debilitato fieri, saepius maximo parturientium detrimento probatur, si vteri haemorrhagia largior partum antecedit, quo casu profuso omni sere latice vitali vteri nisus tandem languescere ac denique silere solent B), imo constans fere est observatio, eas feminas, quas obsterricum vulgus nimis mature, ac imprimis spuriis tantum praesentibus doloribus, ad labores cogit, laborioso ac difficili partu prolem suam edere.

al Elem, art. obst. \$. 237,30 horv endingsloring sidions -nittini

β) Vid. ROEDERER l. c. S. 681. ε) & MAURICEAU Traité des Maladies des Femmes grosses L. I. Chap. XXI. p. m. 161. ANGERMANN l. c.

notice temborions tou IX e Somnes contra

Eundem effectum, quem nimia vasorum sanguiferorum exinanitio in vtero parturientium producit, nimia quoque sanguinis abundantia procreare vales, quamuis ex hac, tanquam ex causa priori directe opposita, contrarius sperari queat effectus. Sed vteri parenchyma vbicunque vasis sanguiferis intertextum, his cruore turgidis; mirum in modum intumescit, &, fibris eius maiorem în modum per purpuram vitalem expansis, non potest non, debilitari suamque vim elasticam amittere. Fibra enim nostri corporis vltra spaeram activitatis suae tensa robur suum amittit. Quid igitur mirum est? praesente plethora vterum suo fungi non posse officio. Idem vero effectus expectandus erit, siue vniuersalis adsit plethora, fiue particularis ad foetus habitaculum impetum faciens. Jumphendag man

Foetum nimis debilem aut plane mortuum partum retardare, nisusque vteri non debite excitare, prisca iam est opinio, huicque procul dubio addictus Cl. MITTELHAEVSERVS, dolores in partu silentes signum foetus mortui praebere, non vna vice asseueranic »). Negare quidem B 3

nolumus, mortuum embryonem quandoque difficicilius viuo eniti; attamen & eundem quam facillime in lucem edi, quotidiana nos docet experientia, & nostris temporibus iam inter omnes constat, partum minime per foetus actionem adiuuari, nec dolores, in partu quoque difficiliori infantis mortui, silere; vnde concludimus hanc causam nullam esse.

a) Practische Abhandlung vom accouchiren pag. 119. & 155.

vieri par enchyman vhicum

Causis, quae facultatem matricis expultrices minuunt, aut plane tollunt, bene perspectis haud difficile erit, media, quibus hi nisus excitari possunt, inuenire. Resistentia enim nimia si opponitur partuulo ex ergastulo suo exituro, haec omni, qua potest, opera remouenda est. Nulla igitur si inter foetum & peluis aperturas adest proportio, haec procuranda erit. In parte superiori peluim dilatari posse, vix vnquam persuademur, & embryone in hac parte haerente, nullum aliud auxisium superesse, quam id, quod ex partis praeuiae compressione, aut eiusdem diminutione expectandum est. Compressioni partis praeuiae mirum in modum inferuiunt varia ista forcipum genera nulli obstetricantium nostri aeui ignota, moli capitis imprimis comprimendae aprissima, & absque omni infantis detrimen-

mento aut periculo, maximo cum fructu, adhibenda. Non solum sacta horum serramentorum ope pressione proportio, quae antea deerat, conciliatur, sed & leni & prouida tractione soetus viterior progressus quodammodo promouetur, doloresque qui iam plane euanuerant, de nouo oriuntur «).

res iam notauit MITTELHAEVSER l. c. pag. 41.

(8) Lo paren haboriofo Obj. VIX a.

Sed hanc encheiresin non semper sufficere, nec quolibet praesente statu, imprimis in persecta capitis paragomphosi, satis tuto adhiberi posse, iam monuit Cel. ROEDERER &), ideoque hic, rebus in ancipiti hoc statu constitutis, capitis diminutionem persoratorii ope instituendam suadet. Et certe, si capitis compressio sieri neguit, nullum certe remedium ad excitandos dolores efficacius est, quam si istius volumen imminuitur.

a) Dist De non damnando vsu perforatorii in paragomphosi ob capitis molem §. 7. p. 11. & Epicr. ad obs. II. nr. 2.

auxilium, vertione intyx ?

Aliter longe res se habet, si in inseriori peluis apertura foetus haeret, quippe quae arte amplior reddi potest. Coccygis enim os mobile in partu naturali impedimento quidem non est; interdum tamen

S. XVII.

grauius huius ossis obstaculum sit, arte superandum «). Hoc si accidit, manuali operatione hocce os leniter reprimendum, inferiorque coniugata amplianda est. Obstante forsitan quoque sinu; huius dilatatione ac perinaei repressione infanti via paratur, & hac operatione dolores silentes resuscitari, testis est saepe am laudatus ROEDERER B). Commadoup manag ?

- a) ROEDERER Elem. art. obst. S. 31. seq.
- B) De partu laboriofo Obf. 15 .- pag. 62.

Se hanc enchei IVX of semper sufficere, nec curri potest, quam si paruulus in axin peluis ducitur, situsque hinc naturalis eidem conciliatur, id quod vel mannum ope vel vecte ROONHVSIANO vel quoque alterutro brachio forcipis anglicanae fieri potett. Hoc bene succedente, foetusque capite feliciter in peluis aperturam deducto cito citius dolores recrudescere incipiunt, contentaque efficaciter vlterius protrudunt. Saepe vero, proh dolor, hic labor obstetricantis inanis est, vt nullum supersit auxilium, versione infantis excepta, ad quam peragendam nisuum adiumento carere possumus, quo operatio magis impeditur, difficiliorque redditur, quam secundatur. Hac vero frustra tentata, ad ferramenta scindentia, partemque praeuiam minorem reddentia confugiendum erit, S. XVII.

A WE A

S. XVII.

Quamuis rarius accidat, vt membranarum robur nimium foetus vlteriorem progressum remoretur; tamen hoc nonnunquam fieri, experientia edo-Eti sumus. Quomodo vero in hoc casu & matris & prolis saluti consulendum sit, haud difficile erit iudicare. Membranae nimirum rumpendae sunt, vt humori contento liberior effluxus, vteroque spatium, quorsum sese constringere queat, paretur, quo peracto, dolores languentes statim recrudescere, ex ROEDERERI a) observatione elucescit. Solis digitorum apicibus, validioribusque vnguium ad vesicam amnii liquore repletam adactione saepissime quidem velamenta haec dilacerari possunt; sed accidit quoque haud semel, vt nimium sacci huius membranacei robur manuum actionem eludat, vnde & quandoque ad instrumenta confugiendum est. Excogitauit ad hunc scopum Celeberrimus, dum viueret, Argentoratensium obstetricans D. D. FRIEDIVS acum vagina inclusam ac elatere praeditam, cuius ope chorii amniique membrana ita perforari potest; vt nullum inde parturienti periculum metuendum fit.

- ODE Partu laborioso Obs. 15. pag. 62. idem comprobat SOMMER De Partu laborioso Obs. sel, Obs. 1. pag. 2.
- β) Membranarum foetum inuoluentium nimium robur quandoque non, nisi instrumentorum ope, superari posse,

posse, observatione sequenti edocti sumus. Femina quaedam plurium iam liberorum mater, rustica ac satis robusta laboribus ad partum corripiebatur, & profusis aquis totum soetus brachium procidebat. Partu huius infantis versionis ope seliciter sinito statim, alterum adhuc foetum in vtero latere, exploratio docebat, qua simul constabat, secundum hunc infantem pedibus praeuiis exitum quaerere. Obstetricans praesens de rumpendis membranis eo magis cogitabat, quia nisus primo debiliores tandem plane silere incipiebant. Sed omni adhibita opera solis digitis velamenta haec dilacerari non poterant, ideoque adhibita acu Friediana sacus hicce perforabatur, quo sacto non solum aquae cum impetu quodam profundebantur, sed &, soetu pedibus attracto, sequente vnica fortiori vteri constrictione cito citius partus absoluebatur.

S. XVIII.

Aliter longe res tractanda erit, si praemature parturitionis aquae excernuntur, quo facto, non tam siccitas partium, quam earundem nimia angustia foetui exituro resistit. Nullum ideo hic essicacius erit remedium, blanda atque lenta sinus externi dilatatione, manuum pinguedine quadam inunctarum ope peragenda, &, si perinaeum forsitan resisteret, modesta huius repressione, prudentique tandem expectatione. Si autem neque tenuitas membranarum, neque obstetricis imprudentia accusari potest.

est, sed situs potius infantis obliquus vteri actiones potissimum in membranas aquis expansas dirigit, harumque rupturam promouet; tunc neque sinus dilatatio, neque perinaei repressio sufficiunt; sed peruersi huius situs emendatio secundum artis regulas tentanda erit.

S. XIX.

Si vero nullum obstaculum infantis in lucem edendi iter impedit, & sola vteri inertia, quo minus partus rite succedat, accusanda est: tunc potissimum eo allaborandum est, vt, facta in matrice irritatione, haec ad reiteratas contractiones stimuletur. Deficientes has contractiones vario modo excitare solent medici, partim medicamenta, partim vero manuum opem admouentes. Inter medicamenta dolores excitantia atque augentia primo loco memoranda sunt pharmaca, vti nominari solent, pellentia, siue emmenagoga fortius stimulantia, sanguinisque orgasmum excitantia. Quamuis negari nequeat, huiusmodi remedia, quorum catalogum hic recensere superfluum foret, vti in toto corpore, ita & in vtero singulari stimulo agere: tamen fere omnes, qui parturientibus assistere solent, vnanimiter fatentur, huiusmodi medicamenta sanguinis humorumque omnium aestum nimium augentia haud raro non solum nullam

plane ferre opem sed & ad alios morbos, ac imprimis haemorrhagias, inflammationes, purpuramque disponere a) ideoque & disponere a) ideoque & disponere a) vina calidiora, quibus parturientes viribus suis, doloribusque excitandis consulere saepe student, adstantibus potius, quam parturientibus conuenire, non inepte certe iudicat.

- Remedia, sic dicta, pellentia plus damni, quam emolumenti afferre, & argumentis, & exemplis probarunt Clar. MORGENBESSER l c. pag. 133. 138. & STORCHIVS von Weiber - Kranckbeiten Vol. V. pag. 539.
- 3) Traité Gen. des Accouchem L. III. C. III, pag. 209.

S. XX.

Alii, enematibus & imprimis acrioribus stimulantibus optime parturientibus succurri posse, mavRICELLI praecepta sequentes iudicant. DIONISIVS &) quidem vti fere semper solet, mavricelLo contradicit; ast argumentis certe minus ponderosis vtitur. Enemata in intestinum rectum iniecta,
ad vterum non venire, huncque immediate lacessere
non posse, dubio quidem omni caret, sed haec, imprimis si acriora sunt, intestinis stimulum quendam
imprimere, huncque praeternaturalem motum,
neruorum consensu, vtero, tanquam parti viciniori,
communicari posse, non facile negabitur, & hanc

ob causam quoque Clar. D. schaeffervs 3) fumi tabaci in rectum intestinum inflati efficaciam, tanquam optimum ad excitandos dolores ad partum remedium, laudat. Sed quamuis omnis ingrata in corpore humano excitata perceptio dolores ad partum inuitare queat \(\gamma \); tamen in consultum ducimus, hos aliarum partium sti-mulo producere, cum iis excitandis solius vteri irritatio manuum ope sacta sufficiat. Hanc enim matricem ad constrictiones disponere quilibet sacile docebitur, qui versionis operatione occupatus manum in vtero degentem, huiusque latera tangentem, validissime hisce nisibus compressam & summopere dolentem iterum extraxit, quique simul expertus est, quamlibet manus in vterum insertionem hunc ad nouos stimulare nisus, operationes quasuis, in huius cauo peragendas, impedientes. Ex dictis hine concludimus, blandam orificii vterini ope digitorum institutam irritationem optimum in hoc casu esse remedium dolores excitans 8). Quomodo vero morbis vterinis §. IX. indicatis medendum sit, disquirere, a scopo nostro plane alienum est.

- a) 1. all. L. III. pag. 207.
- B) Vom Gebrauch und Nutzen des Tabacksvauch-Chlystiers, Ratish. 1766. pag. 47.
- γ) Conf. THEBESIVS 1. c. g. 168, pag. 128, STORCH 1. a. p. 427.

Dolores filentes irritatione vteri excitari, testis est MIT-TELHAEVSERVS l. a. pag. 73. PLATNER Inst. Chir. S. 1438.

S. XXI.

Vniversali parturientis debilitati optime succur-ritur & nutrimentis & pharmacis analepticis, vires corporis reficientibus, quorsum imprimis iuscula carnium ac gelatinae, nec minus vina generofiora, parca tamen quantitate propinata, pertinent. Si vero vteri haemorrhagia, vti saepe fieri solet, summae debilitatis causa existit, tunc optimum & praesentisfimum solatium in matricis euacuatione quaerendum erit; nisi quis remedium a Gallo quodam propositum, & a b. PLATNERO a) quodammodo approbatum experiri vellet. Suadetur ab his, vt inserto in os vteri digito illud paulatim dilatetur, & hoc modo vterus ad sui contractionem irritetur, quo fa-Eto, vasa sanguinem fundentia angustantur, claudunturque. Quo vero melius vterus sese in angustius spatium contrahere queat, haud ineptum censetur, velamenta dilacerare, aquisque contentis liberum concedere effluxum. Inficias quidem ire nolumus, hoc modo dolores ad partum excitari, pusillique ex antro materno progressum promoueri posse: attamen & praematurus aquarum parturitionis essentia sum se nimia sanguinis profusio, hancque sequens vix reparanda parturientis debilitas vteri citiorem euaeuacuationem requirunt, & vix tantum concedunt temporis, quantum ad nisuum excitationem requiritur, ideoque nullum nobis, versione infantis, praestantius esse videtur remedium. Si vero spuriis nimium vexata doloribus parturiens vires suas amisit, non nisi antispasmodicis, & imprimis lenioribus opiatis dimicandum erit, quippe quibus remediis non solum irregulares isti motus sedantur, sed & aegrotanti quies conciliatur \(\beta\))

a) l.c. §. 1438.

(B) ROEDERER Elem. art. obst. §. 331. & 336. Opiata vevo iam dudum a medicis ad excitandos dolores ad partum adhibita esse, patet ex b. schvlz11 Diss. de medicamentis opiatis officinalibus, §. 17. p. 19.

S. XXII.

Plethorae praesenti, siue vniuersalis sit, siue particularis ad vterum conuersa, efficacius opponi nequit remedium, phlebetomia, quippe qua, sanguinis quantitate imminuta, vteri vasa antea cruore turgida humore nunc contento priuantur, sibrisque carneis locus, quo sese constringere possunt, conceditur. Haec autem sanguinis missio tam in brachio, quam in pede eadem cum euphoria institui potest, modo iusta cruoris quantitas ex corpore eliminetur. storchivs «) quidem venaesectionem in brachio susceptam puerperis noxiam iudicat, dolores, putans,

tans, sanguinis ad vterum congestione excitari, sa-Eta vero per venae in brachio apertionem reuulsione istos sisti, ideoque sanguinem potius in pede mittendum esse, suadet. Sed ratio haec nulla est, dum sanguinis abundantia in vtero dolores potius sopit, quam excitat. Vsum autem venaesectionis in puerperio seminis quam maxime salutarem esse, tam veteres, quam recentioris aeui medici bene perspexerunt. 3)

- a) l. a pag. 231. seq.
- B) HIPPOCRATES De Morb. Mul. Libr. I. §. 103. Ed. Lind. Tom. II. pag. 495. ANGERMANN l. all. §. 10. MORGENBESSER la. pag. 30.

FINIS.

